

7

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
DE
FEBRE PUERPERARUM.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CÔNSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ALEXANDER JACKSON,
HIBERNUS,

Soc. Reg. Med. Edin.

NEC NON

Soc. Chem. Sodalit.

I will greatly multiply thy sorrow and thy conception; in sorrow thou shalt bring forth children.—GEN. chap. 3. ver. 10.

Ad diem 25. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

Viro imprimis ornato

THOMÆ FORESYTH

DE ACHNACLOY,

In comitatu Tyroniensi,

ARMIGERO,

Animo probo, honesto, benevolo,

Ac

Moribus integerrimis,

Insignito,

Et

Omnibus quae ingenium probumque hominem,

Ornant faciuntque,

Praedito ;

Has studiorum in medicina primitias,

Amicitiae sincerae,

Animique haud ingrati,

Monumentum

Confecrat

ALEXANDER JACKSON,

Viro-imprimis ornato

THOMAS FORESTYH

DE ACHNACLOY,

In comitatu Tyroneensi,

ANNIGERO,

Animo orobos, hancito, benevolis,

Ac

Moribus integerrimis,

Indignis,

Et

Quibus quae ingenium proximique hominum,

Orant facillime,

Procedit,

Has studium in medicina primis,

Amicitiae faceret,

Admiratione hanc ingrat,

Mententum

Colectat

J. Jackson

ALEXANDER JACKSON

with Campbell

row

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

FEBRE PUERPERARUM.

QUARE sequentia congefferim, aut opusculum hocce aggressus fuerim, explicare operae haud pretium duco; est enim nemo, quem hujusmodi dissertationes legentem inaugurales latet, illas non nisi ex necessitate suscipi solere, academiae jussu tentatas, festinanter plerumque absolutas, vix in omnibus numeris perfectas, cito quidem perituras, nec nisi, quae ad honores magis stabiles, molisque majoris viam sternant, existentes.

Morbus de quo in hac dissertatione agitur, non quia exinde novae lucis aliquid in eum affulsurum sperabatur, nec quia auctoris hujus sententiam confirmare, aut illius repudiare, vel infirmare volui, selectus est a me tractandus; fateor enim me de eodem nil ex observa-

A tione

tione propria novisse; penesque me nil esse, nisi ut quodcunque de eo vel a libris, vel sermone hauserim, in unum conferam, et quodam ordine digeram. Rebus sic se habentibus, vix expectandum est, a me novas sententias de malo, quod tot auctores tam diu et acriter agitarunt, proferendas; sufficiatque si novo quasi habitu argumentum prodeat; ne enim aliquid nimium aut ultra vires aggrederer, in conspectu poetae monitum habui,

“ Tuque

“ *Rectius Iliacum carmen deducis in actus,*

“ *Quam si proferres ignota indictaque primus.*”

Morbum, de quo differemus, nequaquam ignorarunt veteres; recentiores autem medici illum, praecipua cura, atque attentione magna, animadverterunt; et quia de ejus natura ambigebatur, et quia omnis medendi ratio parum profecerat.

Ex mulieribus, quae (calculorum subductione a solerti White prolata) hoc ipso morbo breve intra temporis spatium periisse existimabantur, quantum periculi secum affert idem, quantamque, ut indagetur ejus indoles a medicis, attentionem postulat, omnino patebit; praecipue vero, quia humani generis portionem tam nobilem, tantique momenti infestat. Diversae sententiae, (et quod ad ejus naturam, et etiam medendi rationem), quae diversis scriptoribus placuerunt, illum parum fuisse perspectum, monstrant; vix etenim auctores bini de eodem inter se consentiunt.

Puerperarum,

Puerperarum, nec inepte, potest appellari, quaecunque febris, vel ex graviditate vel partu originem suam ducens, quaeque, partu in lucem edito, se manifestat; attamen, quia foeminae post enixum, variis febribus obnoxiae sunt, non omnes, quae hinc adorianur, hoc nomine signandae sunt, sed inter se distinguantur oportet; auctores, idcirco, ut febrem quandam peculiarem a febre *lactea*, vel aliis, quae foeminas post partum forte laceffant, melius adhuc discernant, quia illa ex istis omnibus periculum adfert maximum, *puerperarum* appellant.

Talis quidem distinctio, si attente de ea animadvertetur, commodi vix non secum adferret multum: At opinor interea, febrem quandam *puerperarum* fuisse appellatam, cui non magis vera et necessaria, cum illa, quae partum sequi solet, connectio aut affinitas est, quam cum alia ulla debilitata corporis conditione; eandem necnon ab illa febre, quam alii scriptores tali nomine signarunt, valde discrepare.

Accurate igitur perpendamus et investigemus morbos ex graviditate vel partu adorientes; atque post puerperium infestantes, ab illis, qui e casu proveniant, eisdemque forte comitentur, summa cura distinguamus oportet: Tali enim tempore vix morbus est, quo male tractatae foeminae non implicentur; at mala sic orientia, nequaquam cum aliis puerperio magis adnexis, diversamque fortassis curandi rationem postulantibus, confundi debent.

Collatis igitur his cum iis, qui sub eodem nomine morbos diversos fuisse descriptos, opinati sunt, stat mea
sententia;

sententia; hancque sententiam a signis, quas auctores depinxerunt, diverse se habentibus, a causis remotis nequaquam similia suadentibus, atque insuper ab inconditis quae de hac re accepimus, suffulciri puto.

Non autem a solita aliorum via digrediar, sed vocabulo sine discrimine utens, puerperarum febrem (utcunque variae variorum inter se natura discrepent) auctorum uno eodemque nomine signabo.

MORBI HISTORIA.

A nullius scriptis solis historiam infecuturam deprompsi, sed a complurium collegi; exinde, quia isti forsitan sub eodem nomine diversos morbos depinxerunt, a rebus vix inter se congruentibus forte non vacet illa.

Incerto tempore haec febris adoritur; plerumque primo, secundo, vel altero post partum die; aliquando autem non ante sextum, vel etiam serius, contingit ejus accessio. Sed quanquam plerumque, imo fere semper, hisce temporibus malum ortus suos ostendat, nonnunquam tamen ab ipso partu prognata, et ejus doloribus adnexa fuisse videtur. Illam plerumque et praecunt, et sequuntur eadem signa, quae alias febres; praegreditur enim stadium frigidum, plus minusve horrens, verum quod raro non insignius est. In quibusdam adeo debi-

lis et parvus est pulsus, quod vix tactu percipi potest; in aliis durus et plenus.

Excipitur hoc stadium, aucto totius corporis calore et pulsu pleniori, dolore capitis; materies subviridis vomitu egeritur; imminuuntur vires, et adsunt quaecunque pyrexiam comitari solent.

Aret plerumque cutis; atque haec signa serius aut citius (intervallo quodam interposito) abdominis dolor insequitur; qui quidem non semper certa manet in sede, at ab hac in illam abdominis partem profilit; nunc usque ad costas et scapulam ascendens, nunc in femora, vesicam urinariam, et intestinum rectum descendens, praecipue vero in regione hypogastrica saeviens: Secundum auctores quosdam *, iste dolor non aequè acerbus est, ac ille qui viscerum inflammationes comitari solet; secundum alios †, cruciat eximie, atque caloris et doloris *pulsatilis* sensu stipatur. Notandum est praeterea, dolorem hunc interdum febris signa progredi. Respiratio saepe laborat valde, propter abdominis dolores, qui cruciantes admodum, diaphragmatis impediunt descensum. Saepe quoque immensum tumet abdomen, tensum fit, atque torquetur adeo immaniter, quod vix pondus stragularum patiatur.

Ineunte morbo, plerumque alvus adstricta est, et per totum morbum sistitur; saepius vero in hoc stadio solutior fit; id autem, quod dejicitur, varium est, nec raro valde putridum. Saepe praeterea violentus qua-

* White.

† Leake.

tit vomitus, viscidam saniem flavam vel nigrescentem egerens; similisque saepe materies quae dejicitur, illi quae evomitur. Urina primo parca et subrubra est; sed inter morbum ulterius progrediendum, varie se habet, variasque species exhibet.

Lochia varie afficiuntur. Non defuerunt exempla lochiorum nec quantitate, nec qualitate mutatorum, sed per totum morbi cursum usque profluentium. Saepe vero omnino cessant, vel nigricantia, nec jucunde olentia, exire perstant.

Lingua quarundam sana videtur, et conditione solita sua, at saepius in proVectiori morbo, arefcit, et albida materie obducitur.

Lactis quoque secretio imminuitur; non raro etiam deficit omnino; sed aliquibus, usque ad morbum absolutum, quamvis non larga, permansit.

Saepe flaccent mammae, atque si exprimatur, aliquando provenit pro lacte sanguis.

Pelle coriacea, ut in inflammatione obductus, detractus sanguis reperitur. Nimis crebro praeterea tenesmo gravi cruciatur aegra, et dejecisse alvum plerumque aliquid levaminis adfert. Fere semper caput praeter modum dolore afficitur: Huic vero dolori adest, ait Hulme, hoc proprium, quod raro aliquid delirii eum comitatur, nisi forte paucis ante supremam horis.

Talia sunt signa, quae inchoante morbo, sese in conspectum plerumque proferunt; at quidem, illo ulterius proVecto, in deteriora ruunt omnia. Crebrius adhuc et debilius micant arteriarum pulsus, languent oculi; functiones

functiones animales labascunt ; magis ingravescit respirationis labor ; nec amplius dolor capitis tolerandus, Nausea et vomitus crudescunt vehementius, vixque ullo modo sedari possunt. Diarrhoea violenta incipit.

Adoritur tandem singultus valde inquietans, et dolores abdominis non leviter exasperat.

Saepe conspiciuntur petechiae et eruptiones miliares ; quaeque morbum mitescere non faciunt.

Vultus fit cadaverosus ; faeces et urina ex inficia elabuntur. Morbo jam urgente, ingruit delirium, vel potius comatis quoddam ; aliis vero manet usque ad vitae ultimum illaesa et perfecta sentiendi facultas ; et haec quidem plerumque, sine ulla (quantum percipiant adstantes) mortis angustia, vel lucta convellente, animam efflant.

Abdominis dolores, gangraena incipiente, per aliquot horas antequam vita decedit, sopiuntur. Omnino frigescunt extrema. Pallefcunt forsan, vel livescunt maculae ; plumbeo colore tinguntur labia ; subsultant tendines ; sudores largi collum et caput irrorant : Mox undique instat ruina. Urget nempe id, quo posterius est patiendum nihil.

Recognitis his omnibus, quot ad historiam jam recensitam pertinent, patebit, morbum de quo tractamus, nunc horroribus et aliis quae phlegmasias comitari solent ; nunc more typhi nausea et languore, nullo vel levi stadio frigido, nec horroribus praegredientibus, ingruere.

Mors quoque tempore incerto oppetitur.

Quaedam,

Quaedam, at revera paucae, novo morbo, et inter contremiscendum sub stadio frigido, e vita surripiuntur.

Aliae non nisi postquam usque ad decimum quintum, aut etiam decimum octavum diem, certamine gravi, et magnis conatibus, pro vita luctatae fuerint, succumbunt tandem; talis autem exitus saepissime post quintum et ante decimum quintum inducitur.

Nec minus incerto tempore contingit ex altera parte faustus eventus; non raro quinto vel septimo die. Sin vero malum ultra decimum octavum protrahatur, minus quidem ex eo periculum est timendum; sed ferius et aegrius redintegratur valetudo secunda.

Ut morbi natura et sedes retegerentur, multae cadaverum incisiones institutae sunt. Eorum igitur, quae exhibuerunt, pauca referam.

QUÆ INCISIS CADAVERIBUS OBSERVANTUR.

In intestinis, omento, vel quibusdam aliis ex abdominis visceribus, conspicitur inflammatio vel gangraena. Saepe reperitur omentum fere absumptum, atque in pus dilapsum; et mediastinum aliquando inflammatione correptum. Nec ejusdem subinde experts ventriculus, nec uterus. Saepe praeterea in cavo abdominis deprehenditur serum extra vasa effusum et pure commixtum;

mixtum; superficies quoque intestinorum observatur illita quadam materie exudata; quae viscosa, ea peritoneo adnectit, et inter se cohaerere facit. Haec sunt praecipua, quae ex dissectione in conspectum prodeunt.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

In hunc morbum nunquam nisi post partum mulieres incidere dicuntur, et hoc quidem comprobavit experientia; partum igitur ad hunc morbum praedisponere, tuto asseverari potest; ex puerperis vero quasdam citius oppugnat, et illas saepius quae *temperamento sanguineo* gaudent; omnibus plethorae faventibus, ut victu lautiore et vita otiosa utentes; nonne autem hujusmodi consuetudines et tales habitus corporis quamcunque inflammationi proclivem reddere potest? Adjicienda vero est, et una cum aliis recensenda, illa mutatio sanguinis circuitus, quae ex partu contingit; quaeque sanguini inter abdominis viscera congerendo parturientem obnoxiam reddit.

Proclivitas quoque oriatur ab omnibus, quae corpus debilitant; haecque sint victus nimis parcus vel tenuis; nimiae praesertim sanguinis (quales in parturiendo forte accidant) exinanitiones; lectus calidior corporis irritabilitatem augens; tristitia et quaecunque animum deprimant. Nonne tales foeminae praecipue contagionis cu-

B

juscunque

iuscunque effectibus obnoxiae sunt? Nonne puerperio sunt ingens debilitas et ejus mala?

Humorum insuper putredo huic morbo proclives reddere dicitur; talis quidem conditio, materiei contagiosae generandae, et ejus actioni inter corpus inquinandum, faveat. Quanquam humores dum gravida est mulier ad putredinem proclives reddi, ut quidam volunt auctores, me non credere fatendum est. Talem enim conditionem ante partum extitisse, nequaquam ostendi potest; atque eadem si adesset, me iudice, longe alia prae se ferret, quam quae in nostro morbo se in conspectum edunt.

Quaedam denique aëris mutationes, nobis parum intellectae, huic morbo praedisponere dicuntur.

CAUSÆ EXCITANTES.

In epistolis *, hunc morbum saepius, a frigore corpori calente admoto, quam ulla alia causa excitari affirmat Sydenham. Nec ab eo (scilicet de hac causa) discrepat ipse Hippocrates. Notandum est praeterea, hunc morbum nostris in plagis maxima vi grassatum esse epidemice, post algores et tempestates frigidiores.

Stimulantia

* Epist. ad Cole.

Stimulantia quoque et calida medicamenta, puerperae post enixum administrata, morbum hunc excitare possunt.

Mulieres praeterea, quibus permittitur cura puerperarum, imperitae, obstetrix ignara, vel medicus sciolus ejus vice fungens, inflammatione inducendae, causae sint.

Abdomen insuper ligamento circumjecto durius comprimere noceat. Nec levis damni fit forte alvus adstricta. Subiti praeterea animi affectus, ut ira, &c. inter causas excitantes recensentur.

Nonne in corpore jam opportuno, sunt hae, quae ad inflammationem excitandam, causae sufficiant? Atque revera tantum, ad inflammationem, in vasis abdominis viscerum jam laxis, et infirmatis, stagnante sanguine, inducendam ipse partus confert, quod illa exinde, ne etiam una ex his excitantibus causis admota, cieatur forte. Inter hujus morbi remotas causas numeratur quoque paludum miasma.

Proxime halitus humanus ejusdem, ut causa remota, incusandus est. Plerasque mulieres quae febre *puerperali* periisse existimatae sunt, typho vulgari vel synocho extinctas esse credo, talemque febrem inter eas plerumque saevire, quando complures in eodem nosocomio confertae, Lucinae labores subeunt. Attamen secundum quosdam (nec ab eorum sententia abhorret mea) nequaquam contagiosa est illa febris, quae vere puerperarum dici potest. Febrem puerperarum quorundam auctorum, ab aëre inquinato et stagnante, effluvio humano, et humore, insignibus istis scilicet putriditatis adjutoribus,

bus, conjunctis ortum ducere, nemo hodie negat. Nec ad quamvis aliam causam adscribi potest illa strages quam edit in nosocomiis amplioribus, nec quapropter in istis tam saepe infestat; praeterea vix aliter ei in talibus locis occurritur, quam munditiae et aëre libere perflante. Nonneque ad febrem in viro suscitandam sufficiunt hae causae? Quare igitur tale morbum puerperii proprium dicendum est?

Summatim igitur, causae jam recensitae vel simplicem inflammationem, vel febrem strictius dictam, infligere possunt.

DE MORBI NATURA.

Jam ad id, quod in dissertatione nostra magni est, appulimus; si enim nil certi de causa proxima morbi et ejus natura, cognoscendum sit, omne quod in medendi rationem operae navetur, vanum et futile erit.

Si historia morbi supra prolata (qualis est a diversis auctoribus collecta) in animum revocetur, signa quae in ea enumerantur, omnia ne unam puerperam subitum, primo intuitu patebit.

De morbi hujus natura, varias opiniones protulere medici; quisque propriam sententiam totis viribus et argumentis solertia plenis, suffulciens. Imo a cadaverum incisionibus, quae tramite rectissimo ad veram pathologiam

thologiam ducere ab omnibus habitae sunt, multi omnino diversa in mentem duxere. Non quidem facile est, quare adeo in scriptis medicis, et inter homines, quibus conceditur, eos et accurate observasse, et observata juste retulisse, discrepatur, rationem reddere; tales nobis illusisse mendaciis, suspicari durum et morosi ingenii esset; ut et existimare eos, cupiditate seipsos ut auctores celebres reddendi, vel aliquid novi in lucem edendi impulsos esse; at contra quomodo unus idemque morbus sententiis tam diversis et tantis rixis locum praebuit, non facile animo arripiendum est.

Utcunque vero se res habeat, certe opinionum a viris tam in medicis rebus insignibus talis diversitas, obiecta cuicumque tyroni inter artem salutiferam exercendam multum dubii et molestiae faceffet; vel forte, quod pejus est, eum gravibus erroribus et malis inde profluxuris implicabit.

Quod ad meipsum, morbi, de quo tractabant, historiam et medendi rationem, auctores, fide et sine ullo studio pravo retulisse; et illum, qualis cuique visus est, talem exhibuisse, credo; at, idem nomen, diversis morbis, fuisse inditum, ratum habeo. Mulieres, omnibus malis, quae in aliquo vitae stadio molestant, in puerperio obnoxiae sunt; at si morbi nec, quod ad eorum causas, nec rationes quibus vel praeveniantur, vel tollantur, similes, forte inter puerperium invadant, tales tam longe a se invicem distantes, sub nomine eodem confundere absolum est.

Hinc autem quodammodo potest fortassis explicari, quo fonte, omnia, quae de hoc morbo discrepantia audivimus, profluxere, quaeque in scriptis medicis adeo scatent; eodem tempore hoc in animo fervandum est, nempe, quod illa conditio aegrae peculiaris, et status qui ex partu obtinet, forte omnia quae tunc in conspectum prodeant febris signa, aliquo modo inter se similia reddat. Certe igitur inter se hosce morbos dignoscere, et cujusque naturam didicisse, eximiae utilitatis erit; quoniam tales saepe medendi rationem diversam postulant.

Tot jam, causa explicandi, quare inter auctores de hoc morbo tam dissonum fuit, prolatis, varias, quas varii complexi fuerunt opiniones, recensebo.

Antiqui * cum ad lochia suppressa ut causam praecipuam adscripsere; (et eandem in sententiam recentiores etiam ierunt), illustris Van Swieten et † alii ad lactis metastasin; Johnston ‡ et alii ad uteri inflammationem; Hulme ad omenti, Leake ad omenti et intestinorum, White ad easdem causas ac eas a quibus est typhus; alii ad erysipelas, et Young ad sui generis contagionem. Has omnes opiniones ordine jam posito perstringemus.

Antiqui uno ore hujus mali lochia suppressa incusabant; quoniam vero illa etiam per totum morbi cursum saepe profluentia persistant; nec raro supprimuntur repente,

* Hippocrates, Avicenna, Sennertus, Will's, &c.

† Sydenham, Boerhaave, Mauriceau, Astruc.

‡ Johnston's Midwifery, Hoffman, Denman.

repente, sine tamen ullo incommodo insequente; talem suppressionem ut causam ad morbum progignendum sufficientem, habere non possumus. Quum igitur cessant, id, ut effectus, non morbi causa, habendum est, et quoniam in stadio frigido plerumque sistuntur, spasmus cessationis in causa esse verisimile videtur.

Concesso igitur, Hippocratem, reliquosque veteres, inter morbi hujus causam indagandam, in errores lapsos esse, quid de ejus natura sentiebant iidem, proximo loco perpendamus; diversis enim a causis exoriri potest. Patet ex signis quae ab antiquis mandata sunt tabulis, atque ex medendi consilio ad quod se receperunt, eos morbum nostrum generis *inflammatorii* habuisse; eos quidem sic opinatos esse colligere licet ab hoc, quod ad lochia suppressa eundem adscripserunt; existimarunt enim, lochia, quae profundi debuerunt, non amplius solitum egressum reperientia, plethoram induxisse, et inde, phrenitidi, pleuritidi, peripneumoniae, cynanchae, diaphragmatis mammarum hepatis, ventriculi, mesenteriae, lienis, renum et intestinorum inflammationibus causam praebuisset; febrem igitur puerperarum, *inflammatoriam* ab iis habitam esse, pronunciare tuto nos possumus.

Opinio, quae lactis secretionem impeditam huic morbo causae fuisse, eodem scilicet in corporis varia deposito, indicat, talis videtur, qualis ne etiam labore quam minimo in eam refutandam impensio digna videatur; etenim, ut monuit solers * Kirkland, lac, rebus sic se habentibus,

* On child-bed fever.

habentibus, extra propria vasa effundi posse, et febrem inducere, aequae ac icterum bile non antea secreta oriri, absolum est asseverare.

Proxima opinio est ea, quam Johnston amplexus est, quaeque hunc morbum ad uteri inflammationem refert; et equidem illius, quam hicce auctor febrem puerperarum appellat, inflammationem uteri primam habendam esse causam, tuto, quantum ego dijudicare possum, a nobis inferri potest. Ad hoc confirmandum, mihi liceat, *casum*, quem nobis retulit Kirkland, quemque *puerperalem* appellat, citare; in illo enim placentam detrahente, penes obstetricem non fuit; vi tandem et frustatim evulsum est; deinceps exoriebatur id quod ille febrem puerperarum nominat; cito enim molestabant tremores, abdominis inferioris praesertimque uteri dolores acerbi; lochia foetebant; flaccescebant mammae; et hebdomada quasi post partum elapsa, ipsa mors excipiebat.

Atque si ad casus injucundos, quibus inter enitendum, mulieres, ab adstantium studio nimio et intempestivo auxilio, aut naturae conatibus gradatim progredientibus temere praeoccupatis, aut etiam contractione vehementi, quam ipse uterus ex necessitate subit, obnoxiae sunt, animum advertamus, in eo inflammationem inde excitari posse, vix non concedemus; huc autem quoque adjicienda est ea irritabilitas, quae et hoc tempore, et inter gestationem uterum inquietare solet; nausea enim, vomitus, mammarum glandulae tumentes, signa hysteriae, &c. non, nisi ea irritabilitate in rationem

onem sumpta, quod ad eorum causas, explicari possunt. Illarum praeterea, quae huic morbo succubuerunt, cadavera incisa, uterum inflammationem antea subiisse monstrarunt. Complures insuper aegrae de dolore in uteri regione pulsante, conquestae sunt.

Me vero eandem, quam Johnston suffulcire opinionem velle, aut morbum in hac parte suam sedem perpetuo figere, existimare, nemo suspicetur; longe enim ab hoc distat sententia mea. At praecipue apud auctores discrepantium rationem reddere conatus sum, et cuique fidem conciliare volui, ostendendo, cujusvis opinionem, quod ad morbum de quo ipse diserebat, a vero fortassis non aberrasse; caeterum illos non, tale discrimen, quale diversae causae, vel aegrarum habitus varii, &c. efficiant, existere inter se concedentes, lites exinde movisse. Sed de hisce rebus plura posthac.

Omenti et intestinorum inflammationem eundem morbum proxime excitare, contendit Hulme; Leake praeterea omentum inflammatum pro ejusdem origine habet; et quoniam inter se consentiunt isti auctores, quod ad morbi sedem, eorum opiniones una perpendemus. Dissectiones quas instituerunt solertes Ponteau, Hulme, Leake, nosterque illustris praeceptor Home, sic se res habere suadent equidem. Hulme vero et Leake, quomodo morbus oboritur explicare conantes, inter se discrepant; ex iis enim quae hoc consilio prior adduxit, morbum posse et ante, et post partum invadere, nil obstat quin inferamus; at omnino aliter se res habet; atque propterea corrumpit quod extraxit ille. Explicatio

vero quam perhibuit * Leake, majori fide digna videtur; utpote quae multo magis cum verisimilitudine stare videatur; et quantum (si propriam sententiam liceat proferre) ego dijudicare possum, ad animum explendum sufficiat; etenim (ut quainobrem ei faveam exponatur) subitam mutationem in toto corpore ex partu effectam, et sanguinem necessario, ex utero se contrahente, alias quam inter gestandum se in illa regione deflectentem, nec ut antea istas partes obeuntem, ad inflammationem concipiendam viscera abdominis proclivia posse reddere, et praecipue ad hunc morbum prognascendum conducere Leake existimat. Nimirum, quia subito uteri gravidi pressura liberatur aorta descendens pariendo, sanguini per vasa ab ea divaricantia impulsio quod obstabat minuetur; idem ideo, vi etiam aucta, in ista vasa irruet, et iis praeter solitum exinde distensis, dolorem cum inflammatione (omenti praecipue et intestinorum, per quae, eadem plurima et maxime laxa discurrunt) et pyrexiam nonnunquam ciebit.

Talem revera circuitus mutationem contingere monstrat, ea syncope quae haud raro subitum partum insequitur; adde huc, quod uterus valde se contrahens, sanguini, qui antea libere ejus vasa permeabat, foetumque nutrebat, transitum non amplius praebet: Et hinc quantitas multo major solito in partes vicinas rejicietur, eorum vasa magis adhuc distendit, et proclivitatem ad inflammationem augebit. Nec hic quidem

non

* Child-bed fever.

non in animum revocandum est, quantum hoc tempore, partium harum et intestinorum conditio sanguini congerendo faveat. Foetus auctam molem intestinorum tonum minuere, apud omnes consentitur; atque revera quae graviditatem comitari solent, alvus nempe adstricta, colici dolores, flatus, &c. debilitatem et atoniam intestinis affecisse luculenter monstrant. Certe igitur organa illa facile in tali conditione cuicumque causae distendenti cedent, nec deinceps cito supervacaneum sanguinem effundent, aut solitum suum tonum et magnitudinem recuperabunt.

Ex his autem argumentis forte dubio implicatum videatur, an hic adsit inflammatio *activi* generis, an ea quae *passiva* nuncupatur. Verisimile quidem videtur, eam saepe generis hujus posterioris esse. Abeuntne vero citius in gangraenam hujusmodi, quam activae inflammationes? Anneque reddi potest ex hac atonia ratio gangraenae tam subito invadentis, et morbi attingentis tam cito exitum suum?

Collata igitur omnia quae protulit Leake, non a vero discrepare videntur; vellemque ego febrem quam Hulme et Leake depinxerunt, ipsam puerperam haberi, quia videlicet, vetustorum puerperae simillima est. Ipse quidem Hulme, de historia morbi hujus ab Hippocrate tradita differens, eamque suae conferens, haec profatur: “ * The description of the puerperal fever, as observed
“ by Hippocrates, in most parts, exactly corresponds
“ with

* Hulme on puerp. fev. p. 95.

“ with what has been said of it in the first part of this
 “ treatise, in so much, that, had both descriptions
 “ been given about the same time, it might have been
 “ disputed which author had borrowed from the o-
 “ ther.”

Adjiciatur, quod haec multo majori necessitudine cum graviditate et partu connectitur, sicut postea memorabitur, quam aliae quae eodem nomine insigniuntur.

Nunc perpendenda nobis obvenit opinio, quae placuit celebri White; indicans nimirum hanc febrem ab iisdem causis ac typhus originem ducere. Typhum foeminas puerperas adoriri posse, nemo inficias ibit. Quoniam eadem causae, in omnibus, ac in his, ad typhum eundem sufficiant; eam vero febrem puerperarum appellari debere quis concedit? vel denuo hujus plus quam alicujus alius corporis infirmati conditionis propriam esse; equidem puerperarum febris, quodocunque mulierem parturientem morbus corripit quaevis appelletur fortassis; nec omnino sine causa; at morbo, cui olim suum nomen fuit, novum indere, aliumque cum eo, qui febris puerperarum diu audiit, confundere, pravam medendi rationem nonnunquam inducat; nescit enim rei medicae studiosus, inter ea, quae de puerperarum febre varii scripserunt auctores; perlegendum, dum huic placet haec, illi illa, omnino contrariae inter se medendi rationes; quid potissimum ipsi eligendum est; nec unquam forte animum advertit ad hoc, quod apud eos de diversis omnino morbis differitur.

Quod

Quod puerperae, istis morbis quae tunc temporis publice grassantur, valde obnoxiae sunt, non dubitandum; quapropter autem, aliquo modo rite, appellaturi sumus, *puerperum*, quodcunque malum iniqua aëris temperies, aut contagium inferat? Quando ex isto vitio, nec graviditate, nec partu exoriens ingravescit.

Certe igitur nomine non aegrae conditionem fortuitam, sed morbi naturam indicante, uti debemus. Puerperarum praeterea antiquorum febrem generis *inflammatorii* esse ostendendo, in hac dissertatione jam aliquid laboris impendimus. Hic quidem, ut quantum cum vero congruit talis opinio, ulterius adhuc monstrarem, ex veteribus fere innumera citare possem; at talis labor supervacaneus, et immensus foret, nec hujus dissertationis spatio adaptatus; at quicumque librum, quem Hulme edidit in lucem, adeat, ejus juxta finem, quantum sufficit, hujusmodi reperiet. At res non sic se habent in morbo quem depinxit White.

Quoniam quas tractavit White, non nisi post partum hoc morbo implicitae fuerunt, ex habitu corporis quodammodo exinde mutato proclivitatem quandam oriri inferendum videtur; at non magni laboris esset rationem reddere, quare haec a White memorata febris, contagiosa licet, ante partum non incidit; perpendicularibus quomodo puerperae tractari solent, cubiculis inclusae, aura pura negata, lectis affixae, et ibi quasi exaestuantes; istis adjiciatur turba adstantium, (talium scilicet quales circa illas semper ex more glomerantur): Mihi

revera

revera pro certo est, mulierem utcunque sanam, hoc modo per longum tempus habitam, febre implicandam.

Nec interea clarum White, morbi a se memorati, humorum ad putredinem proclivitatem inter gestandum exortam, et enixu vel postea prava tractandi ratione accensam, incusare, eundemque propterea posse non sine causa puerperarum nuncupari, me latet. De hac quidem humorum opportunitate sententiam meam supra proposui. Attamen, etiamsi humores sic se habere, et in putredinem labentes inquinaturos esse, pro certo ac statuto concederetur; ab ea nihilominus quam priores *puerperam* habuere, quamque tali nomine signatam nobis retulere, ista, in quam moratus est ille, febris longe distat; ideoque nomen sui proprium adjicere oportebat.

Morbos enim inter se diversos, eodem nomine insignire, nil fuit aliud, quam morbi ipsam naturam inter homines disceptatam reddere; hucque revera res rediit; et hinc inter se tantum de hujusce natura discrepuere medici; quamcunque enim istiusmodi febrem aliquis descripsit, eam veram *puerperam* idem habuit; quandocunque igitur hujus opinioni adversabatur illius, se invicem refellere uterque conatus est; rixas moverunt, quod dubitandum erat antea, magis adhuc dubitandum reddiderunt; etiamsi interea neuter a vero (quod ad illa in quibus versabatur) aberrasset.

Hocque revera modo, ut (quod in promptu est) exhibeatur exemplum, quae edidit Hulme, refellere conatus est White; en ejus verba: “ * Upon this supposition,

* Management of lying-in women, p. 325.

“ tion, it is impossible to account for the disease being
 “ more common and fatal in large towns and in hospi-
 “ tals, than in the country and private practice.” Ne-
 quaquam vero interim, morbos quorum ipse et Hulme
 historiam ediderunt, inter se valde abfimiles esse, secum
 reputasse videtur; nam Hulme, morbum a se memora-
 rum, magis quam ileus, pleuritis, nephritis, vel quae-
 cunque alia inflammatio, contagiosum esse negat. In-
 super, secundum Leake, morbo, cujus ipse historiam edi-
 dit, raro adest delirium, vel coma, typhi affectae; per-
 sistit enim plerisque istis, quae eo laborarunt, haud im-
 minuta sentiendi facultas, et cogitandi illaesa. Quid
 multis? quemque causas remotas et signa illata morbis,
 quos isti auctores memorarunt, perlegentem, eosdem
 natura omnino diversos, in unum fuisse quasi congestos,
 effugiet?

Multos quidem auctores et multa scripta citavit
 White; scilicet, ut probet, inflammationem et gangrae-
 nam omentum et intestina corripuisse, in febribus putri-
 dis (non puerperarum) incisa cadavera monstrasse, ma-
 lumque procul dubio in istis partibus sedem suam ne-
 quaquam primo habuisse. Hoc quidem a nobis conce-
 ditur; non vero id quod hinc deduxit; hinc enim pro
 vero statuere voluit, inflammationem omnem in febre
 puerpera abdominis viscera infestantem, non nisi ut sig-
 num insequi. At non in hisce rebus ad ea, quae in
 corpore exanimi conspecta sunt, sed ad signa, quae, in-
 choante morbo et progrediente, se manifestant, animad-
 vertendum est. Dolores acuti, tremores ingentes, uri-
 na

na rubida, calor apud interiora molestans, a Leake memorata, inflammationem haud lenem adesse indicant, et denique torquentes abdominis dolores aliquando febris signa praegrediebantur.

Ill. Johannes Pringle eques, (cujus auctoritate dissectiones retulit White), de carcerum febre differens, nullam, ea incipiente, acuti doloris, qui in hacce nostra inter prima subit, mentionem fecit. Quoniam vero White morbum longe diversum ab eo quem nomine eodem signarunt auctores caeteri, coram se habuisse, nequaquam abfimile videtur, suum de isto ratiocinandi modum, illi alteri accommodandum esse vix expectari debet.

Pus ab utero resorptum abdominis doloribus originem praebere White in mentem suam induxit, atque de hac re sic profatus est: “ * From hence we may infer why the puerperal fever is *always* attended with pain and tenderness in the hypogastric or iliac regions, and frequently upon the symphysis of the pubis, because these parts lie nearest to the uterus and intestines, and are therefore most likely to absorb the putrid matter.” At in iis, quas ipse tractabat, aegris, dolores isti fere recta post partum oborti sunt; in quibusdam nempe secundo vel tertio die; in aliis vero ante viginti et quatuor horas elapsas; quae quidem spatia tam curta et exigua nequaquam huic doctrinae favent; nec facile hujusmodi tam subito orientis mali, putridum quodcunque absorptum perhibet rationem.

Ipse

* Management of lying-in women, p. 355.

Ipse idem praeterea uterum absorptioni perficiendae aptum habet ; de hoc, en ejus verba : “ * As the communication between the mother and child is carried on not by continuity of vessels between the placenta and uterus, but a reciprocal absorption of blood by means of patulous orifices, we may conclude, that the womb is an organ of all others the most favourably formed to absorb.” Illa vera nequaquam pro certo comperta sunt ; atque revera, quod ad meipsum, cum anatomicorum principe, vasa, saltem inter uteri internam superficiem et placentam continuata procurrere, opinante consentio. Si autem, placenta interposita, absorptio quidem contingeret ; ei nihilominus, isto auxilio summoto, fere confestim cessandum esset. Si denuo, ne hoc obstante absorbeatur aliquid, per lymphatica transeundum est ; vasa autem illa ex utero progredientia nequaquam omentum pertingunt, sed alias divaricantur. Quomodo igitur, putridae vel cujuscunque materiae inquinatae in omentum et intestina depositae explicatio reddenda ?

Materiem resorptam iterum deponi, abscessus efformaturam, ut monstraret, varia ille citavit. At hujusmodi vitia (abscessus nempe) praecipue si cum caeteris, quibus desunt, conferas, rara obveniunt. Quasi congestis ideo omnibus quae hic prolata sunt, nil aliud quam typhum esse cel. White febrem puerperarum opinor ; hanc, ratione solummodo habita ad agrae peculiar-

D

rem

* Management of lying-in women, p. 390.

rim conditionem, quam accuratissime simulare, interea vero longe ab illa quam *puerperarum* scriptores alii depinxerunt, discrepare; nec huncce ejus morbum veram puerperarum febrem ullo modo esse: Quid enim de hac re protulit cel. White? “A true puerperal fever is originally caused by a putrid atmosphere, or too long a confinement of the patient to an horizontal position, producing an absorption of putrid or acrid matter.” De hac, donec caeterae prolatae fuerint opiniones, nil amplius differam; eas autem postquam transegero, quod mihi optimum videtur, obiter percurram.

Ista, quae hujus morbi, eandem ac erysipelatos naturam esse, suadet opinio, mihi parum placet; si quando enim cum hoc morbo conjungi videtur, istud fortuito contingit. Ultimam nunc hic recensendam opinionem appulimus, et solummodo sui generis hanc febrem esse paucis respuimus; ministrantes enim mulieres eadem correptae fuerunt.

Nunc denique, quid ipsemet de morbi hujus natura opinor, proferendum est, et id quantum potero brevissime; non enim hic, novi nil aut haecenus inauditi me proditurum esse, ut iterum moneatur, necesse est.

Puerperarum febrem (talem nempe qualem, varii varie nec justo discrimine nobis obtulerunt) nunc inflammationem secum adferre, nunc ad putredinem festinare, liquet. Veram puerperarum (ecceque supra qualem istam veram habeo) semper, in ejus initiis inflammatione idiopathica stipari, multa, ut opinor, suadent; dolores necnon abdominis primarios esse; proptereaque mihi,

ut

ut febrem quam Leake et Hulme depinxerunt, veram puerperam esse, non negarem, sed potius in easdem partes irem; nil praeterea, propter rationes supra relatas, nisi quarundam partium abdominis viscerum (praecipue vero omenti et intestinorum) affectionem, febrem hanc sui proprium inferre; affectionem hanc non nisi post partum oboriri; eandem quoque, etiam si cum et in eorum causis, et naturis a se discrepantibus morbis forte commisceatur, existimo. Hinc quidem in hac, ac in quacunque conditione, cuius morbo obnoxiae mulieres; typho nempe corripiantur forsitan, et sub hac conditione, ut verisimile videtur, contagioni opportunae sunt. Huiusmodi nec non labi oriundae, quo enixae tractantur modus, haud parum favet. Talis vero morbus puerperio, me iudice, nequaquam tam arcte, quam illo de quo jam differuimus, adjungitur; quoniam insuper hi medendi rationem plerumque diversam postulant, eos in unum confundere, magni periculi sit; huc praeterea adijceatur, dolores abdominis sub hoc symptomaticos esse. Etenim, quia post partum ad inflammationem res quasi proclives sunt, quando abdominis viscera praeter solitum praeterque sanitatem sentiunt, et facilius irritamentis parent, febris exorta in istis partibus, cito et facile, ob hoc, inflammationem accendere potest.

D I A G.

D I A G N O S I S.

Quoniam ex puerperio in multos morbos et varios incidant foeminae, hic ab illo invicem quomodo distinguatur, momenti, novisse haud parvi est; atque revera, si hujusmodi quodvis malum rite perpendatur, vix hoc nostrum cum caeteris confundere licebit.

Quos, quoniam nostrum morbum simulant quodammodo, in hoc loco recensere volumus, sequentes sunt; *miliaria febris, lactea, interitis, colica, hysteritis, cholera, et dolores partui supervenientes.*

Anxietas illa ingens, eruptio insequens, et abdomen non valde tumens, *miliariae* quae adsunt, ea quantum discrepat a *puerperarum* indicant.

In *lactea* minus quam hac, a signis urgetur: Tactum et pressuram melius abdomen patitur; at interea distenduntur mammae et dolent.

Inter hoc vero et quodcunque malum *colicum* pyrexia limites statuit.

Os uteri ex tactu dolens, quid inter hanc febrem et *hysteritida* intersit, haud obscure monstrat.

Nec interea *cholera* et puerperarum febris inter se non distinguendae; quia sub posteriori, nonnunquam alvus tarda; quia insuper spasmos crura corripientes prior fecum fere semper adfert; et quia tempestatibus calidioribus plerumque adoritur.

An vero cum febribus ipsis an phlegmaticis collocandum sit, quod ad ordinem nosologicam, hoc malum accurate novisse prae omnibus proficeret; hocque ex conditione aegrae rite perspecta, optime cognoscendum est. Nec ullo modo, qualem ante enixum illa vitam degerat, quomodo post tractata fuit, nec quantum febre ingruente contremuerat, qualis sit urina, quam speciem exhibet lingua, qua in plaga agitur, multaue alia, quae de morbi natura vix ut ambigatur finent, praetermittenda aut ignoranda.

P R O G N O S I S.

Quanto mulier natura infirmior est, vel vires exinationibus post partum immodicis exhaustae fuerunt; quanto vehementior ipse est morbus, vel citius et quasi confestim puerperium insequitur, tanto magis festinatur usque, tantoque celerius ad orci limen urgetur. In resolutionem, suppurationem, gangraenam, &c. haec, sicut quaevis alia inflammatio, forte desinat; hic vero omnia ista signa, quae inflammationis varia stadia indicare solent, recensere supervacaneum habeo.

Quandocunque autem abdominis dolores mitescunt, laxatur alvus, urina sedimentum deponet furfuraceum, lochiaque manantia perstant, meliora auguranda sunt.

Quanto

Quanto nec non longius a partu ipso distat tempus quo ingruit accessio, tanto magis faustum omen.

Urina autem parca et cruda, cutis arida, sudores non nisi quibusdam partibus, praecipue vero juxta cervicem, prorumpentes, et lingua ficca, periculum non abesse denunciant.

Quum vero pulsus arteriarum exigui, debiles, et crebri sunt, respiratio nec non angens et difficilis, exitus vix expectandus est jucundus.

Quando tumidum, alvo dejecta, non subsidit abdomen, quando anxietas valde molestat, quatitque vomitus immanis et non sedandus, et quando tendines subsiliunt, petechiae efflorescunt, abdominis interea doloribus subito cessantibus, convulsionibus vero et singultu ingruentibus, formidandum et vix evitandum mortis periculum.

P R O P H Y L A X I S.

Quoniam saepe ad exitum suum, cumque non raro lethalem propero pede hic morbus tendit, ne unquam oboriatur omni diligentia praecavendum est; nec levi attentione haec mulierum conditio observanda.

Omnia huc spectantia monita et normae propositae, in ista duo redigi jure possunt.

1mis, Ut causae inflammationi oboriundae faventes evitantur.

2do, Ut istis, quae vel contagioni gignendae opitulentur, vel ipsam recta gignant, obviam eatur.

Quod ad primum ut et secundum consilium rite perficiendum, alvum leniter solvi conveniet semper. Inter auxilia fit quoque, nequaquam praetermittenda, victus refrigerans et regimen antiphlogisticum, praecipue si aliquid inflammationis, utcunque exiguum, se in conspectum edat; calor ideo et calefacientia omnigena evitanda sunt. Mens interea fit, quantum fieri potest, mulieri tranquilla; et omni ratione, quodcunque inflammationem promoveat, evitetur.

Quod ad secundum vero, nil magis quam mundities, ut scopum attingamus, proficit. Stragula igitur et indusiae crebro mutantur. Mundities enim et aerae afflantes purae, aut etiam frigescentes, praecipuum in hac conditione levamen adferre solent. Lecto diu aegra non adfigi debet, sed in lecto sine lassitudine, quoties fieri potest, erecta sedeat, vel etiam, nec parvi est, ut cubiculi calor adeo temperetur, ut nec frigore ipso puerpera perstringatur, nec ex calore sudor eliciatur. Adstantium vero turba solita, quantum licet, arcenda.

Quia debilitas contagioni nociturae praecipue favet, roborantia, ni exinde timeatur aliquid, ut cortex Peruvianus, victus lautior forte usurpari debent; at inter ista adhibenda non levis cura necessaria est.

M E D E N D I R A T I O.

Ab istis, quae de hoc morbo ratiocinantes protulimus, varia, sicut ipse varietur, medendi consilia postulare facile patebit; quia nec non consilia ista inter se valde discrepant, hoc vel illud prae alio usurpare, aegrae periculum haud leve forsitan adferat; insigni et maxime intenta igitur, signa quae secum adferat vel causas, a quibus oritur morbus, cura animadvertere medicum oportet. Quantum (nec lene fuit certamen) de morbi natura, tantum de medendi ratione maxime idoneo et proficiente, disceptatum fuit; ad omnino similem rationem quod quidem adscribendum est. Medicus enim fere omnis, hoc malum in omnibus unum idemque esse sibi persuasit; quia vero inter hujusmodi mala variatur, iis subvenientia non eadem sint necesse est.

Nostra hinc consilia desumuntur:

1^{mis}, Quandocumque adorta fuerit synocha, ut diathesis phlogistica summoveatur.

2^{do}, Quando typhus ingruerit, vel quando putredo se manifestaverit, ut vires corpori resciantur; et ut putredinis effectibus obviam eatur.

3^{tio}, Ut signis quibusdam, fortuito quasi contingentibus, occurratur.

Ad *primum consilium* rite perficiendum varia conferunt. Regimen antiphlogisticum sedulo usurpandum est. Eum adeo ubique notum est, ut supervacua de eo nostra verba forent.

Sanguinis detractio.—De effectibus ejus adhuc ambigitur. An vero conveniat an aliter, inter auctores non leve certamen fuit. Multi et ex iis praecipue Leake, venaesectiorem, ut, incipiente morbo, utilem laudaverunt; et certe tali ratione in hac, sicut in omni alia inflammatione, conveniat, oportet. Si robustior sit aegra, sique abdominis torqueant dolores, non sine spe commodi sanguinem detrahere licet; at interea cavendum est, ne pulsu parvo decipiamur; plerisque enim abdominis inflammationibus depressus est et debilis pulsus.

Quia autem laborans, forte ex natura debilior, sit, exinanitiones hujusmodi largiores vix patiatur; quia praeterea a parte affecta sanguinem parce, plus quam a cubito effusius educere proficiat, *localis venaesectio* saepe commodum adferat.

Cathartica.—In omni morbo alvum laxari haud levis momenti est: Sed cavendum est, ne purgantia, calefacientia, et stimulantia praescribantur, meliusque sedantia et refrigerantia neutra, ut sal cathart. amar. crystal. tartari, &c. *Antimonialia* valde laudata sunt. *Glysmata* emollientia, oleosa, partem foventia, optima sunt. Quandocunque igitur sponte profluere inciperit diarrhoea, diluentibus, refrigerantibus, acidis, et antisepticis promovenda et adjuvanda est.

Refrigerantia necnon, ut acida et sales medii, ad hunc morbum solvendum nequaquam inutilia sunt. In hac enim, sicut in aliis inflammationibus, ut nimium sanguinis circumacti impetum temperent, calorem ad justum redigant, et quodcumque in primis viis ad putredinem proclive sit ad sanam conditionem reducant, administrari solent. Fructus maturati una cum his assumpti vix unquam nocebunt.

Diluentia quoque non inutilia sunt; quia ad sitim restinguendam, acria, quaecumque insint, diluenda, putredini obveniendum, alvumque solvendam conferunt.

Emetica insuper, quandocumque nausea laboret aegrotans, adhibere convenit: Absit autem vomitus violentior; scilicet quia abdominis dolores exasperat, et nauseantia majori fructu adhibere licet.

Externa autem abdominis haud parvum levamentum adferant doloribus; ut *fomenta* ipsi admota; spasimum nempe quia tollere et partes laxare solent.

Epispastica in hac, sicut in omni inflammatione, auxilium pollicentur.

Nec *opio* defuerunt suae laudes; id enim, ut dolorem sedans, nobis commendavit Leake.

Ad primum nostrum consilium perficiendum conferunt haec: Quae ad *secundum* nunc percurrentia.

Siquando omnia supra recensita, vel non quantum sat adjuverint, vel ferius usurpata fuerint; magisque adhuc siquando usque ab origine typhus fuerit morbus, et illa plus detrimenti quam poni secum attulerint, quae mox enumerata sunt, attenuatis interea et collabentibus ae-

grae viribus, roborandum est, quantum possumus, corpus, et ad putredinem proclivitati obviam eundum. Huc fere confert, ut cordis et arteriarum actio sustentetur, imo augeatur. Nempe, *Imis, Tonicis*, quorum praestantissimum est cortex Peruvianus; in hujus dotes, et beneficia quae adferre solet, morari supervacaneum esset. Quis enim libros etiam crassiores de istis editos fuisse ignorat?

Stimulantibus aromaticis nempe et vino. Inter cardiaca tutissimum est vinum, palato fere semper gratum: Cordis et arteriarum actionem promovet idem, dolorem lenit, et delirio adversatur. Atque revera largius et meracius propinandum est; denique, omnia quae roborant, videlicet, frigus, victus lautior, salep, sago, &c. non deneganda sunt.

Summovenda autem quae vel putredinem efficiant, vel eidem faveant; aegrae cubiculum perflet aër frigidulus et quam maxime purus: Ad munditiam vero non in aliqua re praetermittendam, ut summa cura animadvertamus, praecipue oportet; mirum enim modum fordes nocent.

Jactura sanguinis vero nunc maxime evitanda; imo quamvis acerbi sunt abdomini dolores. Si autem aliquando, corpore jam tantum infirmato, diarrhoea profluere incipiat, quam celerrime sistatur. Quandocunque immaniter dolet abdomen, applicationes topicae antea recensitae usurpare licet.

Quantum

Quantum ad *tertium* consilium, symptomata quae potissimum urgent, ut *vomitus*, *diarrhoea*, et *respiratio difficilis*, lenienda sunt.

Vomitum ad sublevandum, remedia vomitum moventia vitanda, vomitioni haustus effervescentes felicissima obviam it.

Ubi vires aegri diarrhoea exhaurit, oportebit quam citissime eam sistere. Ad hoc perficiendum accommodantur clysmata ex amylo, aëre fixo, laudano liquido, aqua tepida, &c.

Quandocunque abdomen laborans, difficili respiratori fuisse videtur causae, medici praecipuum est officium, ut originem tollamus; quomodo hoc perficiendum, supra recensitum est. Demulcentia, tussi molestante, forte proficiant.

Nunc denique, nisi ut gratias quam maxime sinceras, propter multa quae ab eo accepi, eximio isto philosopho, viro humanissimo, Josepho Black, persolvam, nil restat.

F I N I S.